

Nunc ut ad reliquorum terminorum *ἐκ τῶν* descendam, sensus eorundem ex politicâ disciplinâ notus est. Regimen enim Monarchicum cōmuniter esse putatur, quando penes unum summa rerū laudabiliter est, vel, uti definit Marfilus Patavinus in Defensore pacis part. 1. c. 8. m. p. 29. Monarchia est temperatus principatus, in quo dominus est unicus ad cōmune conferens, & subditorum voluntatem sive consensum. Huic opponitur Tyrannis, quæ principatus vitiatus est, in quo dominatur unus ad conferens proprium, præter voluntatem subditorum. Aristocraticum verò regimen est, cū optimates præsent laudabiliter, cui opponitur oligarchicum, in quo dominantur aliqui ditiorum seu potentiorum ad utilitatem non publicam, sed privatam. Democraticum deniq; est, in quo civis quilibet participat aliquantulum principatus, juxta modum tamen, facultatem & conditionem suam.

XVIII.

Cognitis jam terminis, porro sciendum, tria esse, quæ non ingrediuntur quæstionem nostram, sed ab utraque parte pro certis & indubitatis habentur. 1. quòd Ecclesia non sit inordinata & indisposita quædam hominum congeries, ubi cuilibet liceat quodlibet, & istud Cyclopicum obtineat, & δὲ αἰς ἰδεὸς ἀκέραι. Est enim Ecclesia corpus mysticum, in quo omnia membra aptissimo ordine coherent, Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 10. v. 17. 12. v. 27. Eph. 1. v. 23. est regnum, Matth. 25. v. 1. est civitas, Matth. 5. v. 14. est templum, 1. Cor. 3. v. 16. est domus Dei, 1. Tim. 3. v. 15. est terribilis, velut castrorum acies ordinata, Cantic. 6. v. 9. quæ epitheta omnia Ecclesie non tribuerentur, nisi benè disposita esset, & ordinatè administraretur.

XIX.

2. Quòd Ecclesia habeat universalem quendam Monarcham, & ab eo etiam gubernetur Monarchicè, nempe Christum Iesum, qui ἀρχιπρωτὸς dicitur, 1. Pet. 5. v. 4. & caput Ecclesie sue, Eph. 1. v. 22. Col. 1. v. 18. & fundamentum, 1. Cor. 3. v. 11. & sacerdos summus, Heb. 7. v. 21. 24. Hic absolutam habet potestatem & jurisdictionem in omnes, hic Ecclesiam suam gubernat, propugnat, propagat, aliisq; veri Monarchæ officiis perfungitur, ita quidem, ut ratione Christi Ecclesiasticum regimen, Monarchicum esse, non saltem fateamur lubenter, sed & ipsi defendamus acriter.

XX.

3. Quòd optimo & præstantissimo regiminis modo administrari debeat Ecclesia, non saltem à Christo, sed etiam à Christi ministris,